Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Carmina - Cod. Karlsruhe 57

Kurrer, Carl Philipp Friedrich

[S.l.], [18. Jahrh.]

VI.

urn:nbn:de:bsz:31-72238

Visual Library

VI.

Genus, ecce! aliud discriminis audi!
Iuuenalis.

Ecce! iterum noua te compellat epistola, ridens
Auctitias veterum, præstigiasque nouas!
Quæ tibi de morbis, curisque frequentibus horum
Nuper narraui, grata fuere tibi.
Plura, cupis, referam tibi somnia, plurima restant,
Plurima restabunt, dum cadet orbis, adhuc.
Quis perreptabit salebras tot, tot labyrinthos,
In quibus occurrunt monstra subinde noua?
Quis labor? Illorum si debellaueris unum,
Nil agis, et subito te noua mille premunt.
Est modus in rebus! sunt certi denique fines,
At genus insipidum nescit habere modum!
Quæ delirantes auia docuere nepotes,
Sacra, quasi cœlo sint ea lapsa, tenent.
Proque illis pugnant, velut aræ suntue, focique,
Omnia tentantes, ne sua caussa cadat.
Parce tuis oculis, et linguæ parce tuæ, si
Oppugnare palam somnia auita velis.
Linque nuces pueris! non est prudentis, eas vi
Extorquere. Nihil te iuuat; ergo sile!
Ast ego cur sileam? coepto iam tramite pergo,
Et veteres auias, qua data porta, fugo.
At mihi principium quid? finis quis mihi? quauis
Si removere velim, non mihi tempus erit.
Delibabo tamen de tot modo millibus unum,
Aegros si mecum rursus adire voles.
Vidimus ægrotis quæ cura salutis inepta,
Garrula quæ crebro turba cubile premat.

Maxima pars vera, vel falſa ſuſcitat illos
Spe vitæ, variis conſiliisque fovet,
Nec numerare quidem, (noceat ne terror amico!)
Audet, quæ quemuis fata futura manent.
Est tamen et, mortis quæ quælibet omina nouit,
Exponitque aliis, atque notare iubet.
Omnia disquirit ſtudio, diuinat et inde,
Quæ tandem morbi conſona meta foret.
Scire velis quædam, quæ nominet omina? ride,
Si ſapis, auditis! En potiora tibi!
Neſcio, quid? cecidit noctu ſub tegmine, et eius
Bombo concutitur tota tremitque domus;
Quæ prius hortorum fuerat decus, arbor, ab ægro,
Tum puero, ſulcis inſita, culta viro,
Langueſcit ſubito, languoris cauſa latet, mox
Quæ viridis fuerat fronde virente cadet.
Nocte canes latrant, et ſtridet in aſſere vermis,
Noctua bubatur, frangitur olla cadens,
Grillus adest, editque ſonos, atque ante feneſtras
Eſt volucris, quæ de veſpere nomen habet,
Ipſeque pes dexter, qui lectum ſuſtinet ægri,
Vermibus adroſus, ſidit, humique iacet.
At! quid id inſoliti, ſi tegula frangitur, aut ſi
At Felis agens mures, lubrica, nocte cadit?
Si, cum radices vermis corroſerit, arbor
Marcet, ſi, ſucco deficiente, perit?
Sæpius iſta vides fieri, perit arbor, at eius,
Qui plantauit eam, fortia membra manent.
Si, latrare canes quoties audiueris, inſtet
Mors, funeſta tibi quælibet hora foret.

Bubo fugit lucem, occultat luce latebris
Exagitata suis, ~~stridula~~ noctua nocte gemit.
Olla cadit; malecauta locis aut femina siccis
Imposuit madidam, sicca deinde cadit,
Musculus aut, escam conquirens, transsilit ollas
Forsitan; hinc terram decidit olla levis.
Grillus adest; ex rure domum fortasse tulisti;
Gratus ei calor est, hinc manet, atque strepit.
Grillus si mortis foret omen, quanta foret jam
Pistorum strages? Pæne careret humus!
Tempore si quodam cæduntur ligna, nocivis
Vermiculis subsunt, dispereuntque cito.
Omina num mortis sint hæc præsaga propinquæ?
Adfirment alii; non ego credo tamen.
Tale fuit quondam mors forte secuta, sed istam
Quis caussam mortis dixerit esse sagax?
Sol micat, et plures moriuntur sole micante,
Omen num solem mortis habere putas?
Interea nugis æger torquetur iis, hinc
Sæpe gravis terror, morsque vel ipsa venit.
Vix moritur; quales sermones, quique susurri
Infestant manes! garrula turba venit.
Hæc lacrymans, clausas aperire repente fenestras,
Illa loco solito tollere mandat apes,
Altera, num rigeat corpus disquirit, et inde
Prædicit reliquis fata remota procul;
At, si molle videt corpus, si flaccida membra,
Ecquis quæso, gemens, mox moritur? ait.
Ista domum lustrat, parat altera, nescio, quænam
Corpus defuncti quæ comitentur humum.

Hac caput elati positum vult solis ad ortum,
 Hac coeli venies, vltime, christe! plaga.
Ne redeat, viuos secum rapiatque sepultus,
 Hac mentum viridis cespite munit agri,
Et procul a misero corpus iubet esse sepultum,
 Qui sibi desperans intulit ipse manus,
O! malus hic, addens: hic ni recubaret, agrorum
 Lata seges numquam grandine tacta foret!
Jamque sonans efferre iubet campana cadauer,
 Ast inter sonitus hos strepit hora ruens,
Cuncta caterua stupet comitata cadauer, et inde
 Diuinat propius funus adesse nouum.
Quemue ea sors maneat? rimatur, quisque cubile
 Seruet? hic elato proximus ager erit!
Difficile est sano, risus cohibere vel iram!
 Vanus et has nugas sistere velle, labor.
Si me diligitis, vetulas arcete cubili,
 Ne me languentem depositumque premant!
Sique meas vnquam tibi, Care! licebit adire
 Exsequias, nosti, quidquid amicus auet.
Consolare meos! turbam sed pelle loquacem,
 Et pauci videant corpus inerme meum!.
Si poteris, quamuis sine pompa trade sepulcro!
 Me, pauosque meo funeri inesse sine!
Sint pueri muti, sileat campana, feratur
 Corpus, cum coelum protulit astra, humanum!
Quilibet esto locus mihi gratus; fastus abesto,
 Nec mea facundus contegat ossa lapis!
Sic volo! Tune, sera sme tandem morte secutus,
 Sicubi desieris, sit tibi terra leuis!